

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

D.Chiliano Goltstein S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

beneuolentiam uiri optimi patris tui erga me com-
 plecti debeo. Itaq; ualde opto, ut huius meae uolun-
 tatis significationem aliquam ostēdere tibi possim.
 Si nos etiam fortuna coniunxerit, efficiam summo
 studio, ut intelligas & te mihi charissimum esse, &
 me pro uirili conaturum animi gratitudinem patri
 tuo de me praeclare merito declarare. Christus te
 seruet, & studia tua gubernet, ad tuam & Reipu-
 blicae salutem. Meis uerbis honestissimam matro-
 nam matrem tuam reuenter salutato. Vale.

D. Chiliano Goltstein S. D.

Gratulor tibi filium natum: & Christū precor,
 ut seruet te & uniuersam familiā incolumem. Mul-
 te fuerunt causae, cur sub discessu scholae domi esse
 cupiebam: sed in his non postrema cura erat de te,
 & Longicampiano. Nuper etiam scripsi de illo 10-
 anni Pomerano. Spero tamen fore ut breui isthuc
 proficiscatur. Seydlero existimo nos rectē prospere-
 sturos esse. Apelles huc misit quendam suum etiam
 amicum: is cras hinc ad equitem quendam ibit, ut
 petat in nono in illius Ecclesia: cui cum prospe-
 ctum erit, habeo quod Seydlerum mittam. Sin ille e-
 que recusauerit Apelli amicū accipere, modō res
 fit integra, & Seydlerum mittam. Si totam Thurin-
 giā perlustrauerimus, iuuari plures poterūt: quam
 iam possunt, inspectis tantum tribus praefecturis.

γ 3 Vbiq;

Vbiq; multum est indoctissimorum pastorum. Sed illi cijci non possunt: ita fit ut iaceant & negligantur etiam eruditi, dum uirtutis premia possident illa hominum monstra. Longicampicano dices meis uerbis multam salutem. Bene uale.

Reuerendo uiro, Georgio, pastori Ecclesie Dei in urbe Arctoa, fratri suo charissimo S. D.

Reuerende uir, & charissime frater. Doleo tantam rabiem esse calumniandi, ut etiam uirus euomant sycophantas contra Grammaticam. Dum nos uocabulorum etymologias querimus, ut me quidem grammaticum deceat, & consideratio antiqui uestitus nos de ueterum modestia admonet (ut Aeschines laudat grauitatem Solonis, quem ait nec manum in dicendo protulisse extra pallium:) interea quidam ἐπιπέπιδος dixerunt, me uelle renouare adorationem lacerarum caligarum Iosephi. Sed etiam si derideor, tamen tibi grammaticas interpretationes de calceis et sandalijs mitto, &c. Commendo autem tibi hunc auditorem nostrum Bartholomeum Georgium, natum in Salinis, orphanum: qui rem iustam petet ab illustrissimo & reuerendissimo principe Sigismundo, ut mandet à ciue quodam in Salinis debitam pecuniam heredibus dari. Mandata Principis illustrissimi petit, quæ ut impetret, quæso ut eum